



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

125 Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

125 Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

**Q**ui peccati in mala libertate seruus  
 fui, iam seruus tuus sum: vt habeam  
 fructum meum in sanctificatione: vt mor-  
 ti fructificare desinens, habeam fructum  
 vitæ. Scio quia seruus non manet in domo  
 in æternū. Sed itē scio, quia qui in Domi-  
 no vocatus est seruus, libertus est Domi-  
 ni: similiter qui liber vocatus est, seruus est  
 Christi: & si me liberaueris, verè liber  
 ero. Non enim accepi spiritum seruitu-  
 tis iterum in timore, sed spiritum ado-  
 ptionis filiorum, in quo clamem Abba  
 pater: & à seruitute corruptionis, cum  
 tempus aduenerit, te donante, liberer. In-  
 terim verò præclara est seruitus, quæ non  
 modo liberum, sed etiam Regem facit.  
 Restitue me nobilissimæ seruituti tuæ, vt  
 tota vita mea, tota conuersatio mea so-  
 lum sit seruitium tuum. Totum me recu-  
 pera: totum me vendica tibi, & posside  
 solus, sicut totus tuus sum iure plenissi-  
 mo, ac singularissimo. Seruus tuus sum,  
 & filius ancillæ tuæ, seruus creatione, ser-  
 uus conditione, seruus emptione, seruus  
 proposito, & voto. Fac vt tibi soli seruiam,  
 tui me debere recolo, & originem & pro-  
 fectum. Qualis, quam exacta, quam sin-  
 gulari deberet esse seruitus, quæ Domino

Seruus  
Dei liber  
est.

Rom. 6.

Rom. 7.

1. Cor. 7.

Rom. 8.

Psal. 115.

Qualis  
debeat  
seruitus  
Deo.

tali

tali exhibetur, quæ tot titulis, tot nominibus fulcitur.

*Semper à Deo lux postulanda.*

Vt autem sine intromissione tibi seruire possim, & ita, vt seruitus mea placeat tibi, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Intellectum dari postulo, & lumen, quo tua testimonia, tuas leges planè cognoscam: vt ad eas dirigere omnia possim obsequia mea. Alioquin offundantur tenebræ, cœcutit oculus. At lex tua lux est: quam etsi me intelligere, in eaque meditari professus sum, semper tamen id mihi petendum intelligo. Nunquam intermitenda est ista petitio. Non enim sufficit accepisse intellectum, & Dei testimonia didicisse, nisi idē semper accipiatur, & quodam modo semper bibat de fonte lucis æternæ. Testimonia quippe tua, quanto fit quisque intelligentior, tanto magis sciuntur.

*August.*

126 Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.

*Tempus faciendi, primò nobis parendo. Secundò, Deo dando gratiã.*

**E**T mihi quidem tempus faciendi esset: primò, legem tuam studiosè seruandi: quia quo magis illam dissipari à præuicatoribus cerno, eo mihi in illam studiosius incumbendum. Sed tempus faciendi non tam mihi, quam tibi Domine. Tēpus tibi faciendi iam, non iubendi. Lex enim quæ carnales inuenit, & venundatos sub

pec-